

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dōdekaphrēton, Sive Theologia Prophetica, Ex Vatisbus
XII. Minoribus Secundum Seriem Articulorum Fidei**

Majus, Johann Heinrich

Giessæ Hassorum, Anno MDCCIII

VD18 11197021

Locus XXI. De Oratione.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17399

9 (4.) Carnis mortificationem, quæ ex vivificatione & excitatione colligitur. Hos. VI, 2. conf. I. Petr. 4, 1.

LOCUS XXI.

DE

ORATIONE.

Homony-
mia.

IN Ecclesia, sub vexillo crucis militantibus, invocatione seria ac precibus opus est. Vox invocationis non eodem modo sumitur; maxime si versionem vulgarem respicimus. Notat (1.) in genere quamvis auxilii implorationem, Hos. VII, 11. Invocabant Agyptum, i.e. auxilium implorabant. (2.) Est denominatio ab aliquo, e.g. Amos IX, 12. Ut possideant reliquias Edom, & omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos, i.e. à me cognominati. (3.) Synecdochice totum Christianorum cultum denotat, Sophon. III, 9. (4.) Sumitur pro religiosa Dei invocatione Joël III, 5. quæ solius Dei com- Objectum, pellatio est, eique debita. Ad quem *Jehovam* direxerunt suam orationem Judæi, Joël I, 19. Jon. III, 8. Habac. III, 2. imo ipsi gentiles, ut adorationis cultu dignissimum eum agnoverunt Jon. I, 5. 6. 14. Ei igitur soli deferendus est hic cultus, qui propterea omnem adorationis, cultusque mixturam rejicit, Soph. I, 5. Sicut autem religiosus cultus uni Deo ob infinitam excellentiam competit, Malach. I, 6. ita tribus personis, ibidem per אֱלֹהִים Adonim indicatis, ex æquo defertur.

Causa effic. (conf. L. II. de Deo Uno & Trino) Ut vero recte oremus & Deum invocemus, efficit in nobis Spiritus S. quem Dominus Messias à Pa- tre mittit & in corda fidelium effundit, qui eam ob causam *Spiritus impellens*, gratia & precum vocatur. Zach. XII, 10. Causæ, quæ nos ad pre- cies impellere debent, variae sunt. (1.) Dei voluntas, quæ ex invocatione in nomine Dei colligitur, Joël III, 5. & hunc honorem Dominus noster postulat, Malach. I, 6. (vid II. Decalogi Præcept.) (2.) Calamitas & miseria nostra propria, indigentiaque multiplex, Hos. VI, 1. 2. 3. (3.) Exempla Sanctorum, Jacobi, Hos. XII, 4. Jonæ, II, 2. IV, 2. Habacuci, III, 1. ss. (4.) Exauditionis veritas. Joël III, 5.

Forma.

Quicunque nomen Domini invocaverit, eripietur, s. salvabitur. Oratio autem & invocatio fit & fieri debet vera fide, interno cordis affectu, ac interdum solo gemitu, ut de Jona colligitur, II, 2. ss. qui in visce- ribus

ribus piscis servide & fide plenus oravit; fieri etiam potest & solet externa voce, exemplo ejusdem, קָרָא אֶל־יְהוָה clamavit ad Dominum. Jon. IV, 2. Non tamen sola voce sine interiore cordis affectu fiat, s. ex opere operato, aut corde hypocritico, vel impuro, Hos. VII, 14. Mich. III, 4. oratio nostra profluat, quæ nullam exauditionem sed pœnam potius expectat; sed Christi pro nobis intercedentis Zachar. Fundamen-
III, 2. merito & promissionibus divinis fide nitatur, Hos. XII, 7. Mich. tum.
VII, 7. Nah. I, 7. Habac. II, 3. Sicque de precum exauditione cer-
ti esse possumus. Hos. II, 23. Habac. II, 4. Orationum genera, secun-
dum Apostolum 1. Tim. 2. quatuor sunt, quorum vestigia quoque in
Prophetis occurunt. (1.) *Deprecatio*, δέησις, est oratio mala immis-
sa aut imminentia averti desiderans. Sic Israëlitæ in adversis tempo-
ribus ad Dominum clamare dicuntur, Joël I, 14.. Talis etiam erat Jo-
næ deprecatio, II, 2. ss. Ad quam se pii mutuo exhortantur, Hos.
VI, 1. Zach. VIII, 2 f. 22. Deusque jubet, Mal. I, 9. (2.) *Obsecratio*,
προσευχή, ad bona corporalia, s. spiritualia impetranda, Hos. XIV, 3.
Accipe bonum. conf. 5. 6. 7. 8. (3.) *Intercessio*, Joël II, 17. quæ mul-
tum ponderis apud Deum habet, si à fidelibus fiat. Amos VII, 2. 3.
5. 6. (4.) *Gratiarum actio*, ἐνχαράσια, גַּשְׁלָמָה Hos. XIV, 3. Jon. II,
10. Nah. I, 15. Preces omni in loco fieri possunt, non tantum Hie- Adjuncta,
rosolymis & in templo, exemplo Jonæ, qui ex visceribus piscis ora-
vit, II, 3. IV, 2.

LOCUS. XXII.

DE

TESTAMENTIS ET FOEDERIBUS
DIVINIS.

Dispositio divina circa Salutis media, cultum & formam Regimi- Etymolog.
nis in Ecclesia, *Testamentum* vulgo appellatur, Hebr. בְּרִית à ver- & Homo-
bo elegit, selegit, declaratque adeò. *Berith* vi. vocis rem, quam duo nymia.
elidunt, ut ad eam se certis conditionibus obstringant, sive *pactum*
aut *fædus*, συνθήκη, ceu Aquila & Symmachus expresserunt, vel,
ut LXX. & N. T. scriptores διαθήκη. Interpres Latin. promiscue
reddidit, modo *pactum*, modo *fædus*, modo *Testamentum*; quæ ta-
men non eadem prorsus sunt. Nobis satis h. l. est, notare quod
Deus

